

227

18

a. 14.

EXERCITATIO
PHILOSOPHICA,
DE
GENERATIO-
NIS ÆTERNI-
TATE,

Quam

PERMISSU AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN ILLUSTRIS REGIOMONTANA,
PUBLICO ERUDITORUM
EXAMINI

submitunt

M. JOH. PHILIPPUS Pfeiffer /
NORIMBERGENSIS,
PRÆSES,

&

THEODORICUS Behrtoff /
DRENFURTO-PRUSSUS,
AUTOR & RESPOND.

Ad d. Martij, Anno M. DC. LXX.
In Auditorio Philosophorum.

Hist. nat.

B.

406,96.

Typis excusa apud PASCH. MENSENIUM.



I. N. 7.

I. **C**orporum naturalium generationem (quam alij propagationem omnium specierum dicunt,) æternam esse, adstruit Aristoteles, tum alibi, tum in II. de Generat. & Corrup. c. X.

II. Quod ut rectius intelligatur, æquivocatio τῆς æterni ante omnia expedienda est, ne δυνάμειος huius vocis ἀπειροὶ *hallucinemur*, moniti in Lib. I. de Elench. Soph. c. I. Est enim τὸ æternum ex eorum numero, quæ πολλαχῶς, & quidem ἐφεξῆς dicuntur.

III. Uno modo æternum dicitur id, quod nec initium habet, nec finem, estq; secundum essentiam suam à seipso, ac prorsus ἀπαθὲς *impassibile* & ἀναλοίωτον *immutabile*. Sic primum Ens, sive primus motor, h. e. Deus, æternus esse dicitur XII. Metaph. c. VII. quia, cum omni principio & fine careat, nullis mutationum legibus obnoxius est. Caret enim omni materiâ Deus, quam obrem mutari nequit, siquidem *materia est causa, ut res sint & non sint*, lib. I. de cœlo, c. XII. t. 136,

IV. Alio modo æternum dicitur id, quod quidem ratione essentiæ suæ à primo æterno dependet, materiam habens, factum tamen seu generatum non est, nec corrumpitur per naturam, quomodo cœlum & corpora cœlestia, æterna dicuntur, Lib. II. de cœlo c. I. t. 1.

V. Amplius æternum dicitur, quod in materia inest, ac secundum τὸ συνεχὲς & durationem perpetuum est, nec habet primum sui, nec ultimum terminum. Sic motum æternum esse dicit Philosophus, & tempus, quoniam communi termino copulantur, & propter continuam successionem perpetuò durant. lib. XII. Metaph. c. VI. vid. etiam lib. VIII. Phys. c. 1.

X 2

VI. Hoc

VI. Hoc posteriori modo, generatio æterna esse dicitur. Id quod etiam ratione manifestum est. Constans siquidem Aristotelis est sententia, cœlum non cœpisse, scil. naturaliter seu per generationem, sed esse æternum. Si enim cœpisset, in aliquo nunc, sive in aliquo tempore cœpisset. Si in aliquo nunc vel tempore cœpisset, cœlum non fuisset, cùm fuisset, quod est absurdum. Tempus enim sine motu cœli esse non potest, propterea quòd *tempus sit numerus motus secundum prius & posterius*, Lib. IV. Phys. cap. XI. t. 101. Si non cœpit, sed ab æterno est, ut est, movebitur etiam ab æterno motu suo circulari, qui est omnium primus & maximè *regularis*, cùm *ejus sit eadem semper velocitas*, Lib. V. Phys. c. IV. t. 44. Sed dato, quod moveatur, certè movebitur alicujus finis gratia. *DEUS enim & natura nihil faciunt frustra*, Lib. I. de cœlo c. IV. t. 32. Jam finis motus cœli, non potest esse alius quàm conservatio specierum, seu generatio inferiorum corporum. Non possunt enim hæc conservari, nisi per generationem, cujus est causa motus cœli. Hinc videmus quod sol generet in inferioribus varia, etsi non præcisè solus. *Homo enim generat hominem*, L. VII. Met. c. VII, & *sol*, L. II. Phys. c. II. t. 26. Est siquidem sol causa in actu ab æterno. *Causa generationis & corruptionis*, Lib. I. Meteorol. c. IX. Causâ verò in actu posita, nec impeditâ, sequitur effectus. Quoniam igitur ab ejusmodi causa est generatio, æterna erit.

VII. Deinde, non oportet nos latere, quod omnes res generentur ex synonymis. Sicut & Philosophus ait: *Omnia quodammodo fiunt ex συνώνυμς* (ma'è quidam codices legunt ἐξ ὁμωνύμων, cùm ad textum nihil faciat) *ex univoco*. Lib. VII. Metaph. c. IX. Velut, cùm id quod fit, est omnino ejusdem naturæ cum eo, quod facit, sive natura illa sit species infima, sicut homo generat hominem, equus equum: sive subalterna, velut jumentum jumentum generat, equus mulum, & sic deinceps. Jam si fuisset genitus aliquando primus homo, primus equus &c. non oportuisset hujusmodi species secundum naturam generatas, verùm alio modo pro-

pro-

productas esse, & sic aliquando fuisset generatio æquivoca, quæ si
admitteretur, quodlibet ex quo libet generaretur. Sed tamen ho-
minum, equorum & cæterorum, generatio semper fuit eadem,
eiusdem rationis. Ergò nullus fuit primus homo, primus equus,
&c. per generationem scil. productus. Pertinent huc illa Lucre-
tij rectissimè sentientis:

*Nam, si de nihilo fierent, ex omnibus rebus
Omne genus nasci posset, nil semine egeret,
E mare primùm homines è terra posset oriri
Squamigerum genus & volucres — —*

lib. I. de
Rerùm Natura.

VIII. Porro movet Aristoteles dubitationem, cur non con-
sumtum sit jam dudum hoc universum, quandoquidem finitum
sit id, ex quo fit eorum quæ generantur, unumquodq; ; Respon-
det: Propterea illud fieri, quòd *hujus corruptio, alterius sit genera-
tio, & vicissim, hujus generatio, alterius corruptio*, Lib. I. de Gen.
& Corrupt. c. III. t. 16. 17. Hinc novum causæ nostræ succurrit
patrocinium. Si enim omnia quæ dissolvuntur, etiam generan-
tur, perpetuæ & nunquam cessaturæ sunt generationes. Unde
rursus Lucretius, interitum rerum respiciens, l. c. subdit:

*Huc accedit uti quidquam in sua corpora rursus
Dissolvat natura: neq; ad nihilum interimat res.*

Et elegantissimè Ovidius Lib. XV. Metamorph:

*Nec perit in tanto quicquam, mihi credite mundo
Sed variat, faciemq; novat: nasciq; vocatur,
Incipere esse aliud, quàm quod fuit ante: moriq;
Desinere illud idem: — —*

IX. Deniq; , nisi generatio hoc modo æterna esset, manca
tandem fieret natura, & collaberetur conspirans hujus universi
ordo. Quem lapsum tamen ut prohiberet Deus, generationi æ-
ternitatem indidit. *Complevit enim totum Deus* ἐντελεχῆ (sic le-
gimus cum Philopono in Comment. h. l. cum aliàs corruptè le-
gatur ἐντελεχῆ per τ) ποιήσας, *continuam faciens generationem*,
Lib. II. de Gen. & Corrupt. c. X. t. 59.

X. Dices: *Generaciones esse circa singulare* lib. Met. cap. I.

X 3

Hoc

Hoc autem mutationi obnoxium est. Ideò quælibet generatio-
num in singulari ortum habebit & interitum? Sed nec nos illud
negamus. Singularium namq; est generatio & corruptio, non
tamen universalium. Horum enim ratio semper servatur in qui-
busdam individuis, quæ ideò ut natura universalis servetur, per
continuum generationem sibi mutuò succedunt. Unde moriente
Platone, moritur quidem homo & animal, verùm non homo aut
animal simpliciter, hoc est in universali. Aliàs unà omnes homi-
nes, omnia animalia morerentur cum uno individuo, quod est
absurdum. Sed moritur hic homo, hoc animal, in singulari, quod
intendit Aristot. loc. cit. Idem docens, l. VII. Met. c. XV. Speci-
erum esse definitionem, non singularium, duas substantiæ signifi-
cationes adducit, quarum altera compositum singulare denotat,
altera rationem s. quidditatem. Dicit autem compositi esse cor-
ruptionem, quia ejusdem sit generatio, quidditatis verò s. formæ
non esse corruptionem, quia neq; generatio sit illius. Non enim
fieri domum, sed hanc domum. Quin pariter asserit, fieri, non for-
mam & materiam, sed compositum. Hoc autem esse *Calliam aut
Socratem, sicut spheram aream hanc. Hominem verò & animal,
sicuti spheram aream simpliciter.* L. VII. Met. c. VIII.

XI. Proindè generatio æterna esse dicitur in universali, sed nõ
quævis generatio circa hoc vel illud individuũ. Quandoquidẽ etiã
continuata illa series generationum ita cohæreat ut ante quamlibet
alia prior fuerit, neq; poterit quisquam ostendere primam gene-
rationem, quam nulla præcesserit alia prior. Quâ ratione Aristot.
ἀδύνατον esse ait, *dari generationem primam, quoniam sic omnia
φθαστά* essent, *quæ moventur.* L. VII. Phys. c. VI. t. 57.

XII. Nec quicquam adversus hoc prærogat veritas Theolo-
gica, quæ generationibus, atq; adeò huic universo, initium & fi-
nem statuit. *Ex genere namq; in genus hinc descendendum non est,*
lib. Post: c. VII. t. 19. Loquimur cum Philosopho ut Philosophi,
non fide, sed ratione nitentes. Fides non evertit veritatem philo-
sophicam, nec Philosophia veritatem theologiam: Fides quippe
est

est supra omnem rationem: Philosophia verò fundamento rationis innititur. Jam, si rationem quis consulat, aliter sentire non poterit, de generatione, quàm ut eam esse æternam, statuatur. Profectò enim Aristot. tanto ingenij acumine præditus fuit, ut inter philosophantes neminem unquam parem habuerit, *vel in rebus inveniendis, vel in judicandis acriorem*, teste Cicer. in Orat: nec tamè quicquam aliud ratiocinando invenire potuit, quàm generationis æternitatem.

XIII. Statuerit sanè contrariam Plato in Timæo sententiam, similem illi, quâ dictum est: *In principio fecit Deus cælum & terram*, quo nomine eum laudat August. l. viii. de C. D. c. xi. & Arist. VIII. Physic. c. I. t. 10: *Plato, inquit, solus tempus generat. Simul enim cum cælo factum esse: Cælum autem factum esse ait.* Meminerit ipse etiam in Sophista expressè, *δυνάμειος ποιητικῆς*, cujus sint δύο μέρη: τὸ μὲν θεῖον, τὸ δ' ἀνθρώπινον, ut sic generationibus quoq; fixerit initium. Probabilius est ipsum, in Timæo quidem Theologorum, h. e. Ægyptiorum, Chaldæorum item & Ebræorum pressisè vestigia, quàm ratiocinio mentis, quicquam hujusmodi invenisse. Certè, Justinus Martyr, in Admonit. ad gentes, Euseb. in Præparat. Evangel. & Theodoretus, de Græcor. affect. Platonem ex Ebræorum libris, multa in suos transtulisse scribunt. Et Numenius Philosophus, propter hoc ipsum dicebat: *Τί ἐστὶ Πλάτων ἢ Μωσῆς ἁττικίζων;* *quid est Plato nisi Moses atticissans?* Et Aristobulus Judæus ad Philometora lib. I. sicut Euseb. citat: *Legem, inquit, nostram in multis Plato secutus est: Apertè namq; in multis diligenter examinasse singula videtur. Mosaica enim volumina ante Alexandrum & ante Persarum imperium traducta fuerunt. Unde plurima, sicut & Pythagoras Philosophus ille accepit.* Vide apud Ludov. Viv. in Not. ad lib. VIII. August. de C. D. c. XI.

XIV. In VI. tamen etiam de Legibus, non longè à nostra mente alienam, idem Plato sententiam profert, licet dubitanter, dum ait: *Scire oportet generationem hominum, vel nullum initium habuisse, neq; adeò terminum etiam habituram, sed semper fore: aut si cœperit, inastimabili tempore ante nos cœpisse.* H. I.

XV.

XV. Quamquam fortasse & hoc dicendum sit, Platonem ab Aristotele non multum distare. Etsi enim in sophista l. c. de Deo agens, efficientis voce utatur, mirum tamen id non est, siquidem ipse, quid per ποιητικὴν δύναμιν intelligat, explicat hoc modo: Πᾶσαν ἐφάμεν εἶναι δύναμιν, ἧς ἂν αἰτία γίγνηται, τοῖς μὲν πρότερον ἔσιν, ὕστερον γίνεσθαι. Aristoteli autem efficiens est id, quod ex non esse ad esse producit per κίνησιν seu motum. Scilicet Aristoteli ea fieri dicuntur quæ generantur & corrumpuntur, ut ens factum contra-distinguatur, secundum eum τῷ ἐντι αἰτέρῳ in omnifigūficatu. Platoni verò omnia quæ non sunt à se, sed ab alio esse habent quocunq; modo: & sic ens factum contra-distinguatur τῷ ὄντως ὄντι, hoc est Deo, adeoq; τῷ αἰτέρῳ saltem in primo significatu. Conf. Simplic. Comment. in VIII. Phisic. cap. I. Tantum.



ADDITAMENTA.

- I. *Etsi corruptiones & mutationes violenta per partes terra & facta fuerint, & fiant, rectè tamen ait Ocellus Lucanus lib. de Nat. univers: Universi interitus nunquam contigit, nec ullo tempore continget.*
- II. *Forma est sine generatione & corruptione, (Forma non est sine generatione & corruptione.)*
- III. *Monstra generantur contra naturam, (monstra non generantur contra naturam.)*
- IV. *Animal quoddam biceps unum est animal, (Animal quoddam biceps multiplex est animal.)*
- V. *Sine cognitione Analytices, nulla scientia accuratè vel docetur vel discitur. Hinc notanter Aristoteles, non nisi περὶ αὐδουμένῃς, in libris suis ἰσορροαμῆσι, admittit auditores.*

